

14.a.

MEMORIAM KEIMANNIANAM

D. XXVII. AUGUSTI

ANNI CICCI CCCC V.

HORA IIX.

IN AUDITORIO SUPERIORI
RECOLENDAM

INDICIT

M. IOANNES GODOFREDUS KNESCHKE
CORRECTOR.



L.V.75.72

ZITTAUIÆ, LITERIS FRANKIE,

LIBERALIA LIBRI

De gente Kohliana, olim splendidissima.

Commentatio II.

Praeter eam gentis Kohlianæ lineam, de qua in priori sermo mihi fuit commentary, alia, notabilior quodammodo, adhuc est commemoranda. Referunt nimicum annales, Nicolao a Kohlo fuisse filium, Christophorum nomine, qui, Mückenbergit, praedii rusticani eiusdemque liberi, possessor, rem ovariam insigni modo egerit variasque vineas prope urbem Gubenam non sine lucro coluerit. Vestigiis eius institit quoque, aliquamdiu certe, rem rusticam exercendo, nepos eius, Antonius a Kohlo. Sed temporis progressu et hic Antonius curis rusticis se abdicavit et cognati, Augustini supra nominati, exemplum secutus, possessionibus, quas habuerat, venditis, Zittaviam ita commigravit, ut, quidquid ipsi suppeteret vitae, id quidem in urbe nostra honesto et decoro transigeret otio. Filius eius eiusdem cognominis, iam grandis natu, anno MDLXXI. pro temporis istius consuetudine Senatu nostro ita adscriptus, ut alternis annis ordini Senatorio adesset, 1) ex dupli, quod contraxit, matrimonio multam copiosamque vidit progeniem. Altera eius uxor fuit Anna, M. Andreæ Masci, scholae nostræ Rectoris filia, quae praeter alios filios aliasque filias anno MDLXIX. felici partu edidit magnum illum et peritisimum et celeberrimum Jurisconsultum, Andream a Kohlo, 2) qui domui Brandenburgicae dedi.

1) Germanice: er wurde einer von den Wechselherren, de quibus conferendus est Carpzovius in analiectis fastorum Zittauiensium. P. 2. c. 3. p. 265.

2) Emendandus igitur est Joecherus, qui in notissimo illo, quod edidit, Lexico Nostrum e Marchionatu Brandenburgico orrum fuisse refert.

deditissimus et post varias provincias, maxima gloria ab ipso administratas, splendidissimae tandem Procancellarii dignitati admotus, impleto fere anno septimo et octogesimo, placida morte animam exspiravit. Testamenti tabulis hoc quidem sanxit, ut die sibi natali h. e die decimo quarto Novembris in Gymnasio nostro quotannis a Rectore vel Correctore alternis privata haberetur oratio, in qua ipsius vita disciplinae alumnis succincte enarretur iidemque ad summam industriam, in literis humanioribus ponendam et ad summum studium, virtuti impendendum, provocentur. Müllerus, qui ante me Correctoris hoc in Gymnasio functus est munere, excellentissimi huius viri vitam uberioris descriptis programmate, anno MDCCCLXXXIX edito. Exquisitissima vero scripta, quibus singulas iurisprudentiae diligenter explicuit partes, recensuit Otto in lexico scriptorum Lusatiorum. Sed satis de hoc viro egregio; iam progredior ad alia, quae de gente Kohliana pro meo quidem consilio adhuc dicenda restant.

Antonius ille, quem Zittaviam immigrasse paulo ante dixi, habuit fratrem, Valentimum a Kohlo, qui, variorum praediorum dominus, Gubeneae habitabat, sed eo, quo in fratrem ferebatur, amore commotus, et ipse domicilium commutavit abiitque Zittaviam. Hic matrimonio secum coniunxit lectissimam virginem, Annam, nobilissimi Ioannis de Eisendorf filiam, quae quindecim ipsi peperit liberos. Eo tempore urbi nostrae cum deesset adhuc locus, peregrinis atque hospitibus excipendis accommodatus, natalibus suis suaeque origini Valentinus haud indecorum putavit hoc, ut istud quidem deversorium publicum, quod a sole aureo vel hodie adhuc nomen habet, constitueret ipseque hospitis publici susciperet partes. Miraris fortasse hoc Valentini nostri consilium; sed mireris, utilissimum illud fuit urbi nostrae maximaque auctori debentur gratiae. Filii eius amplissimos consecuti sunt honores illustraruntque cum civitatem nostram tum exterias civitates. Ex his filiis duo potissimum silentio non sunt praeterundi, Michael et Antonius a Kohlo. Ille, anno MDLXXXIV. in ordinem Senatorium cooptatus, optime meritus est de republica Zittaviensi; hic initio multos per annos praefuit tabulario utriusque Caesaris, Ferdinandi et Maximiliani II. tum vero a Ioachimo, Electore Brandenburgico, in Borussiam vocatus, utriusque Marchionis, Alberti et Georgii Friderici, constitutus est scriba sanctior pariter ac supremus. Michael modo nominatus plures habuit liberos, ex quibus duos hic laudasse haud pigebit. Alter nimirum, Michael quoque cognominatus, avi vestigia legit et deversorii publici, a sole aureo dicti, curam gesit. Uxor eius, Martini Zeidleri, praetoris Laubanensis, filia, quadringentorum imperialium legavit usuras, quotannis cum pauperibus atque egenis communicandas.

das. Quod quidem legatum nostro adhuc tempore pendet ex deversorio, solis aurei nomine insignito. Alter vero, Antonius cognomine, ad Zittaviensium accessit rempublicam et per omnes magistratus anno MDCLXIII. ad consulis tandem electus est dignitatem. Eius in civitatem nostram merita fuere eximia et vir summus inter nos hodie adhuc vivit annuo beneficio, literarum studiosis destinato, qui cognitione Kohlianam attingant gentem. At enim uterque frater, et Michael et Antonius, mortuus est, sexu virili non relicto, ita, ut ab eo inde tempore h. e. a quarto et septuagesimo seculi decimi septimi anno gens ista nobilissima atque antiquissima, virilis sexus habita ratione, in urbe nostra desierit. Ad sexum muliebrem quod attinet, connubii se coniunxerunt Kohliae cum multis aliis familiis, ita, ut hac ex parte per diuturnum temporis spatium adhuc floruerit nomen Kohlianum et vel hodie in urbe nostra nonnullae reperiantur familiae, quae ad hanc gentem nobilissimam se pertinere documentis comprobare possint idoneis. Quamquam vero hoc ita se habet, memoria tamen dignissimum videtur, antiquissimae nobilissimaeque istius gentis, in alias quoque regiones, in Bohemiam, Silesiam, Polonię, Helvetiam et Belgum dispersae, virilis stirpis habita ratione, plus centum abhinc annis nullas omnino superesse reliquias nullamque plane propaginem. In causas huius penitus extinctae stirpis si inquisiverimus, non postremam inesse reperiemus bellis, in quibus permulti ex heroico isto genere in ipso aetatis occubuerunt flore. Ne multa, et antiquissima haec nobilissimaque gens rerum humanarum docet et comprobat mutabilitatem, inconstantiam, vanitatem! Animo igitur gratissimo utamur bonis, quae ex prolixa illustrissimae huius gentis liberalitate singulo quoque anno ad nos redundant! Sit nobis, Zittaviae incolis, nomen Kohlianum sanctissimum! sanctissima sit nobis nobilissimae huius gentis memoria!

Indico nunc orationem, in memoriam *Christiani Keimanni*, Rectoris quondam de Gymnasio nostro optime promeriti, crastino die habendam, cui ut Senatus Amplissimus, Sacrorum Ministri Venerabiles, Collegae Clarissimi atque omnes Fautores Aestumatisimi, interesse velint, observanter humaniterque rogo.

P. P. Die XXVI. Augusti MDCCCV.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1005416 1